Doctrinâ ac Pietate insigni Theologo Johanni Hesso de Ao. 1521.
Amico Praestanti.

S.P.D. Morbi et curae ejusdem generis sunt, Hesse charissime:
neutra pars sinè cumulo venit. Constitui tecum amicorum
more longissimis literis confabulari pro copia multiplicis
argumenti, sed curae improvisae sic exaggerantur, ut se-
mestri spatio non fuerim magis oppressus. Jonas quocum
multa mihi communicanda Wittenburgum proficisci-
tur hac hora, occurrunt negotia residua functi ma-
gistratus. Veniunt literae Vuldens: praeproperum re-
ditum meum postulantes. Sed quid caetera commemoro idem
tempus ingruentia. Tantum est, vix otium est, ut dicam
salve Hesse cum his scire te summopere volo, postquam
tu reliquisti Italiam, secutus sum ego mense Aprili se-
quentis anni spe otii parandi, quod in hanc usque diem fu-
git. Reversus substiti duos menses Babenbergae apud incly-
tos Fucksos; deinde Vuldam petivi, ubi sedem collocamus
nostro consilio salutem dictum erat certis de causis Ru-
bia pro nostra. in qua profectione dum ab itinere pa-
rumper hac Erphurdiam deflecto salutandi amicos ergò,
in captivitatem decido. Nam nihil tali cogitanti renunti-
a[illegible] praetura scholastica, quam sinè dedecore contemnere,
sinè gravi incommodo subire non licuit, secutus tum par-
tem honestiorem, magistratu functus sum cum laude,
et iterum nunc ad tranquillitatem fugientem respiro.
Tu, mi Hesse, ora et precare superos, ut hac tandem
digni fiamus, et cura deinceps verbositate utare, no-
lo satiari tam sum nitis literis. Ubi receperint me
aedes meae, subrunam te copia explavi, Erphordia fideliter

mittet quicquid dederis. Cobano, Petreio, Urbano, Draconi
curam committe. Causa Lutheri fortunam tuam commu-
nem cum reliquis Civitatibus; populus et cohors studiosa
hunc coelitus magistrum datum praedicat, contrà magna-
tes Lacedaemonum eum plus odio habent. Tanti Wor-
matiam euntem honorificè occurri cum studiosis, exe-
untem pari honore prosecutus sum tota civitate effu-
sa, quo facto difficile dictu est, ut exaspirati sunt a-
nimi sanctorum patrum, quem adventum prius repete-
bam, quam ille advenit. Non conveniebat pio patri prom-
à nobis cum honore verbum domini veneram dum fuit
cujus ille est defensor. Petrejus Aperbachius ad latus mihi
assidens te plurimum salutat. Salvus sit Metzler. Peto
veniam pro nostro silentio, posteà scribemus abundè mul-
ta. Erphurdiae pridie Cal. Junij M.D.XXI.

Crotus Rubianus.

P.S. De captivitate Martini arbitror varia isthuc circum-
ferri, cum hic quoque diversa narrentur, à quo loco non pro-
cul abreptus est. — Sed bono animo esto. Amici non
hostes rapuerunt, et vivit adhuc cum magno sanctissimo-
rum Patrum dolore, hâc arte illudi oportuit fulmen Caesa-
rianum, quod conatu maximo adversariorum feriret in-
nocentem. Sed quomodo feriet, si is cujus vitae insidiantur
nusquam apparet? Ubi fulmen refriguerit, tum reviviscet
qui jam extinctus existimatur à multis. Ex hac ergo conso-
latione animum resume. Non scribimus mendacia